



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De purgatorio sanctimonialis in Rindorp, cui sanctus Benedictus astitit,
cap. 35.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Oratio
breuis
prodest.*

DVM moretur bonæ memoriæ Christianus monachus noster, cuius memini in distinctione quarta capitulo tricesimo, Abbas Geuardus domi non fuit, qui cum septima die capitulo præfideret, & cantor diceret, secundum consuetudinem ordinis; Domine absolute fratrem nostrum defunctum; his verbis eum absoluit; Requiescat in pace. Eadem nocte Christianus cuidam seniori presbytero, nomine Sifrido, tunc temporis nouitio, & nihil profus de hac absolute scienti, apparens in somnis, ait: Hodie liberatus sum. Qui cum visionem magistro suo Ludolpho recitasset, ille absolute eius recordatus, satis admiratus est verborum virtutem. APOC. Miror si sancti, sub quorū regula religiosi viuunt, post mortem cæteris sanctis aliquid eis magis succurrant. CÆS. Etiam, sicut in sequenti visione declaratur.

*Sæcti sui
ordinis
religiosis
succur-
rūt pecu-
liariter.*

NON est diu, quod sanctimonialis quædam de monasterio Rindorp, quod iuxta Bonnam situm est, Elizabeth nomine, debitum carnis soluit: est autem idem monasterium de regula sancti Benedicti Abbatis. Diligebat eadem Elisabeth specialiter sanctum Ioannem Euangelistam, quicquid poterat honoris illi impendens. Habebat carnalem sororem in eodem monasterio, quæ Alheydis vocabatur, hæc cum nocte quadam, dictis matutinis, in lecto suo sedens, officium defunctorum pro anima fororis decantaret, vocem quandam circa se audiuit. Et cum requireret, quæ esset, respondit: Ego sum Elisabeth soror tua. Et illa: Quomodo habes soror, vel vnde venis? respondente illa: Malè quidem habui, sed modò bene sum; Alheydis subjūxit: Profuit tibi aliquid sanctus Ioannes, quem tam ardentè dilexisti? Respondit illa: Verè nihil, qui mihi assistit, sanctus pater noster Benedictus fuit; ipse enim genua sua pro me flexit ante Deum. APOC. CUM vix aliquis euadat purgatoriū, valde me terret, quod quidam dicunt, minimā pœnam in purgatorio, maiorem esse omni pœna, qua

quæ excogitari potest in hoc mundo. Cæs. Requisite de hoc verbo à me quidam magnus theologus, respōdit: Falsissimum est, nisi intelligatur de eodē genere penę, verbi gratia; Ignis ille acutior est nostro, frigus frigore nostro, & sic de cæteris: quibus à certiori subsequētes visiones concordant. CAPVT XXXVI.

CIrca hoc triennium puella quædam paruula, *De diuer* nouem vt puto annorum, in monte Sancti *sis panis* Saluatoris, quæ domus ordinis nostri est, in *purgādo-* aduentu ipsius Saluatoris mortua est: defuncta verò, *rum.* clara die, conuentu stante in choro, ipsa chorum intravit; intrans, ante altare satis profundè inclinavit, sic in locum suum, vbi stare solita erat, secedens. Quæ iuxta se alia puella, penè eiusdem ætatis, stare videns, & mortuam sciens, tanto horrore concussa est, vt notaretur. Requisite verò à domina Benigna Abbatissa, à cuius ore audiui, quæ dicturus sum, cur ita in choro concuteretur, respondit: sic & sic soror Gertrudis in chorum venit, & cum dictis vesperis commemoratio fieret dominæ nostræ, ad collectam se in terram, stans iuxta me, prostravit; finita verò collecta, se erigens, abiit: hæc fuit causa horrois mei. Abbatissa, timens illusiones diabolicas, ait puellæ: Soror Margareta (hoc ei nomen erat) si denuo venerit ad te soror Gertrudis, dic ei: Benedicite; & si responderit tibi; Dominus; interroga vnde veniat, vel quid quarat. Sequenti die illa venit, & salutata, cum respondisset, Dominus, puella subjunxit: Bona soror Gertrudis, vnde tali hora venis, vel quid apud nos quaris? Respondit illa: Ad satisfactionem huc veni, quia libenter tecum in choro susurravi, semiplenè verba proferēs, idcirco in eodem loco iussa sum satisfacere, vbi me contigit peccare: & nisi tibi de eodem vitio caueas, eandem pœnam moriens sustinebis. Cum quarta vice prædicto modo satisfacisset, ait consorori: Modò satisfactionē meam compleui, de cætero non me videbis; quod ita factum est. Nam ea aspiciente, tendebat versus cœmiterium, mirabili virtute murum eius transcendens. Ecce tale fuit purgatorium huius virginis.